

(XXII.)

Medalla. Igualmente remitió en sus correspondientes cajas varias de oro, plata y cobre á sus Magestades y Real Familia: una de oro, dos de plata y dos de cobre á N. SS. P. el Papa Pio VI. Igual número á la Señora Infanta de España Emperatriz de Alemania, al Rey de Nápoles, al Señor Infante Duque de Parma, á la Serenísima Señora Infanta Princesa del Brasil, y al Señor Infante Don Pedro, y un juego de Medallas á cada uno de los Exmós. Señores Ministros de las Secretarías de Estado y del Despacho universal, que componen la Suprema Junta de Estado, al Emmó. Señor Cardenal Arzobispo de Toledo Don Francisco Antonio Lorenzana, y otras tantas á las Universidades de Salamanca, Alcalá y Valladolid.

## ORATIO

PRO CERTAMINE LITTERARIO

MEXICANAEC ACADEMIAE

IN PROCLAMATIONE

CAROLI QUARTI,

HISpaniarum regis potentissimi,

ELABORATA

A FRANCISCO DE CASTRO ZAMBRANO,

IN THEOLOGIA LICENTIATO,

AD S. ILDEFONSI

THEOLOGIAE PROFESSORE,

PRORECTORQUE.

**ORATIO**

IN LAUDEM

**CAROLI QUARTI.**

UAM sibi persuasum habeant Mexicani, CAROLUM QUARTUM utriusque Patrem Hispaniae, quām Regem esse inauguratum, satis laetitia ostendit, quā tale ad nuntium omnes inter se ordines certare videbantur. Nunquam Mexicus praetermisit, nunquam non aucupata est occasionem, si fortè posset suam in Regem fidelitatem atque observantiam explicare. Sed quae hāc in parte populos omnes antē superaverat; nunc jam superavit se se, atque ita quidem, ut ipsa sibi admirationi fuisset. Maximē cum recens fatum Caroli Tertii tantum sibi dolorem attulisset, quantum nulla aetas delere posse crederetur. Quamquām si refert animum ad veritatem, quis non videat, tantō debuisse Mexicanum in proclamatione filii triumphare, quanto contristata est in funere parentis? Sanè si tantum Regem amisisse, non

*Quo semel est imbuta recens, servabit odorem  
Testa dū.*

Horat. Lib. 1. Epist. 2. v. 69.

(2.)

potuit, quin sibi dolori esset vel maximo; quanto esse gaudio debuit, non similem, non parem, sed maiorem recuperasse?

Atqui talem sibi futurum aliquando<sup>m</sup> CAROLUM QUARTUM, diu est, cum potuit Mexicus neque obscuris argumentis conjicere. Ad hoc enim si quid potest studium, si quid solicitude sive patris, ut filium sui similem efficeret, sive filii, ut patrem in omnibus aemularetur; utrumque fuit ejusmodi, ut facilè quisque potuisse angurare: non alium filii ab illo patris fore principatum, nisi quod illum superabit. Atque id quidem est, quod Optimi parentis ut vota, ita quoque gloriam implevit: filium reliquisse, hoc solo se minorem, quia vel id ipsum debet sibi, quod credatur etiam major futurus.

Nam ut ab eo incipiam, quod primum est, & fundamentum caeterorum, cui potissimum debet CAROLUS QUARTUS educationem suam? Qui vitae institutionem? Nihil profectò tam officii duxit pia mater, & omni praedicatione major, Maria Amalia, quam ipsam sibi provinciam hanc suscipere, factisque comprobare; quod dicere solebat, nullos esse parentibus aptiores paedagogos. Verum id perficere nec matris erat, nec si fuisse, morte praeventa, omnino ipsa potuisset. Ita-

(3.)

que inceptum quidem optimè, sed inceptum tamen Carolo Tertio perficiendum reliquit. Is autem, ut erat summo officio praeditus, & noverat, se non tam filium educare, quam instituere Regni successorem, planè non potuit, quin omnem curam adhiberet, omnemque operam, quae regno etiam ab Rege, nedum filio à patre debebatur. Cerneret Regem Potentissimum etiam inter gravissima reipublicae negotia hoc unum sic tractare, tanquam si solum esset, aut solum interesset reipublicae: neque contentum, ad id munera praestantiores, quos potuit, seu magistros, seu paedagogos adscivisse; ut ipse etiam adscisceret sese omnium praestantissimum, puerulum saepè arcessere, rogare, instruere, ac monendo, horlando, praecipiendo, cùm ad honesta quaevi exigitare, tūm ad ea praesertim accendere, quae Principem optimum, & sui simillimum efficerent. Sic nimirū coepit jam tum & vivendi, & regnandi magistrum agere: iisque filium virtutibus instruere, quibus instructus ipse tantum potuit ad gloriam Hispaniarum, ut si alia deficerent, hoc unum satis esset, ad similem gloriam in filii Principatu angurandam. Sed non hic res stetit. Neque enim is fuit Carolus Tertius, qui praecepsis contentus, non

(4.)

his exempli stimulus adjiceret. Quin potius tot tantaque omnibus imitanda reliquit, ut totus, quotus fuit, ejus Principatus, tota ipsius vita nihil fuisse aliud videatur, nisi pulchra & admirabilis quaedam continuatio seriesque illustrium exemplorum. Quod si natura ipsa ita comparatum est, ut nihil nos tam moveat, quam parentum exempla, unde fit, quod eorum ad consuetudinem & mores plerumque deducamus: tam multa, tam praeclara, ut tali filio a tali patre data sunt, quis dubitet, quin ad illum hujus imbuendum moribus potentissima omnium atque efficacissima esse debuerint? Nisi forte qui suis, qui alienis, qui eminibus sive domi moderationem & justitiam, sive in armis fortitudinem, sive utrobique prudentiam, magnanimitatem, munificentiam, atque omnium maximè pietatem suam & religionem tot egregie factis probaverat; uni probare filio, & filio omnium observantissimo non potuit.

Talem namque fuisse CAROLUM QUARTUM, notius est, quam ut mea, aut cuiusquam indigeat probatione. Quotus enim quisque est, qui nesciat, quam pietate semper & ubique patrem dignatus ac prosequutus est? quo cultu? quam veneratione? quo amore? In quibus nenio est, qui Carolo aut Philippos anteponat, aut Constanti-

(5.)

nos, aut Alexios, aut vero Ludovicos Pios, vel si alii unquam in hoc genere virtutis excelluerunt. Nam quid ego de obedientia dicam? quam nihil est pervagatus, nihil quod magis in ore omnium & laudibus versetur. Fuit enim illi, si qua alia, insignis isthaec atque praecipua laus. Et si sola fuisse, nunquam non optimum, nunquam non patri simillimum filium effecisset. Quis namque poterat, ut a gravitate paternâ ille degeneraret, qui parentis ab nutu imperioque pendere, hoc vero divitias, hoc haereditatem maximam duxit? An aliò imperia illius omnia spectabant, quam ad informandum instituendumque Principem, qui se sua que vestigia nec minore cum laude sequeretur? Aut remissiora illa existimantur, quam ut possent, quo spectabant, eò, vel si sola essent, observata conducere? Quasi vero qui duos orbes tantum cum gloriâ rexerat, unum illum aut nesciasset, aut neglexisset juvenem regere, penes quem & publica vota, & communia facta jam tum esse non ignorabat.

Sed si tantum in re sola obedientia potuit, plus certè, ac multò plus, quam obedientia, potens esse debuit studium, quo nihil sibi antiquius, imitandi, atque in omnibus aemulandi Parentem dilectissimum. Fuerit sanè ille, si quis alias, egre-

(6.)

già indole, tantèque ingenii ad virtutem docilitate, quanta potest esse vel maxima. Non est tamen facile judicare, naturae, an studio potius debeat illa morum similitudo, quam in utroque omnes admiramur. Haec enim illa est, ad quam unam singulari quādam ac praecipuā laude jam indè ab ineunte aetate omnes cogitationes suas, atque omnia studia contulit. At quantā, quāmque felici aemulatione! Tantā nimirūm, quātā non Cyrum Publius Scipio, non Alexandrum Julius Caesar, non Caesarem ipsum Princeps ille Turcarum Solimus imitari unquam studuerunt. Quid igitur? quid, inquam, mirum, si brevi potuit ad illum accedere, atque moribus ita exprimere, ut pènè cum ipso certare videretur? Illud fuisset portento simile, si degenerem se exhibuisset inter tot, ac tanta auxilia & incitamenta virtutis: ut si fingere ipse vellet, neque plura reminisci, neque majora posset consequi, quām vel paterna, vel propria sibi sollicitudo comparaverat. Itaque nihil videris etiam in vicis & plateis tam crebris usurpari sermonibus, & amplam ac jucundam laudibus materiem usque suppeditare, quām utriusque comparationem: quasi populi atque vulgi etiam judicio eisdem, quibus ille virtutibus, & iste quidem excelsissimè floreat. Quod

(7.)

ad me attinet, cum illas contemplor, atque animo perpendo, tam in utroque similes, tamque pares invenio, ut planè nesciam, uter sit? Paterne, an Filius major? Neque verò mortuus ille mihi videtur, nisi ut vivere denuò inciperet in filio, qui verissimam & perfectissimam sui referret imaginem. Et possim, quin augurem? Possim, quin credam, debere quemquam augurate, non alium Filii ab illo Patris futurum Principatum?

Quamquam re verā nunc, quando jam oculti loquuntur, non id tam augurare, quām experiendi affirmare, & attestari possumus. Annus enim est, & eo amplius, cum CAROLUM QUARTUM videamus jam Hispaniis imperantem. Ac sui Principatus initia, sin minus quāta quanta illa sunt, at novimus certè quantum satis est, & plus satis, ut in re possimus judicare. Quid autem? An non abunde ostendit, quām in omnibus Caroli Tertii vestigia cupidè perseguatur? Nam sive illum domi spectas, atque ad domesticos mores & quotidianae vitae consuetudinem exiges: non pietate in Deum, non charitate in subditos, non in omnes humanitate, comitate, liberalitate optimum exprimere parentem, continuò pronuntiabis? Ut nihil de moderatione dicam; in quā, ni fallor, illum superavit, ubi ad solium evectus, & famu-

(8.)

litium minuit, & equorum multitudinem, numerumque curruum, atque alia, quae Majestatis cultum & magnificentiam spectare fortasse credebantur. Sive in fastigio publicorum operum communi saluti & felicitati allaborantem contemplare: quid unquam sibi tam religio fuit, quam non sarta teatque conservare, quaecumque Pater constituisse? Quis Cui labori haetenus pepercit, quod minus illa omnia aut confirmaret, aut perficeret? Non Mercaturam, non Agriculturam, non Militiam, non artes aut scientias praetermissit, quin regia munificentia tuendas, atque protegendas suscepit. Vel servorum miseranda conditio jam liberior, jam felicior hoc fuit, quod diu esse non potuit ab cura illius & solicitudine imminuis. Tametsi quid est, aut verò fuit immune ab sollicitudine illius, qui dies & noctes nihil agere videtur, nihil curare, nisi ut subjecti sibi populi, subditique omnes salvi ac liberi sint? Quibus tamen cum vineat omnes, nihil optatius sibi continget, quam si ab omnibus vinceretur. Hinc aptiores, hinc laboriosiores administros diligere: hinc omnium ad vigilare ministeriis: hinc cum augere munia, tum contrahere justitia, tum assiduum perpetuumque laborem non solum commendare, verum etiam publicis ac firmis sanctionibus urge-

(9.)

re. Quae omnia nisi talia sunt, ut cuique possent Patris Patriae nomen asserre, nescio profecto, quaenam illa esse possunt, quibus hoc nomen promereatur. Atque haec cum ita sint, planè non video, qui possit aliquis non statim agnoscere, quam magnis passibus CAROLUS QUARTUS aequarit jam Carolum Tertium.

Sed si vera ista sunt, jam alterum sponte sequitur, quod esse nobis pariter augurandum à principio dicebam: fore aliquando, cum hic illum longè latèque superabit. Nam si naturale est, iis praesertim qui à magnis incipiunt, ad majora semper aspirare, ubi jam illum nullà in re non aequavit, quid ei restat omnino, nisi ut vincat etiam atque exsuperet? Et quì potest non vincere? qui tandem non illum superare, cuius Principatus ultima, ea sibi prima fuisse, jam inde ab ipso in principatum ingressu demonstravit? Incipiens enim ibi, ubi tandem alter desivit, quot fecerit progressus, quantuloscumque fecerit, totidem se ipse, totidem illum subinde excellat, necesse est. Et quemadmodum aedificium, quod in excelso montis cacumine construitur, vel si lenissime procedat, non potest, quin sensim paulatimque supra cacumen ipsum assurgat, atque altius protendatur: sic nimirùm licet à primo in

(10.)

gloriae culmine jam positus, si tamen ibi cooptat suarum excellentiam virtutum & altitudinem extruere, planè non potest, ut non in dies attollat se altius, & primam illam gloriam, quanta ea cumque sit, longius superemineat. Praesertim cum virtutes, & augmenta virtutum augere nunquam desinat, quantum is debet, qui tantum sibi Regem proposuit imitandum. A cuius magnanimitate & constantia planè deficeret, nisi vires suas omnes in hoc unum conferret, ut magis magisque in dies Hispaniarum felicitatem & gloriam propagaret. Haec enim fuit, ut norunt omnes, Caroli Tertiī propria atque eximia laus, ut nunquam iis contentus, quae fecerat, quamlibet magna essent & illustria; semper ad majora contendēret, neque pars esset ulla felicitatis publicae, cuius incrementa, quoad posset, non avidè prosequeretur. Quamobrem si vivere diutius potuisset, nullus dubito, quin se ipsum longissimè multò superasset. Itaque non aliò spectare, non aliud agere eum oportet, qui vestigia illius ad unguem persequi contendit, atque admittitur. Ausim dicere, nisi ad id conetur, ut vincat etiam atque exsuperet, meritò gloriari nunquam posse CAROLUM QUARTUM, se se Parentem imitari. Atqui hoc unum illud est, quod sibi tam esse cordi,

(11.)

quād quod maximè, ut non ego satī demonstrassem, facile à quoquam intelligi posset ac perspici. Quid autem? Persuadeat sibi aliquis, tot virtutibus, tot naturae donis potentissimum Principem, & tanto studio, conari quidquam posse, quin tandem tandem verè perfectèque assequatur? Maneat ergo, vel nihil nos posse, vel id posse omnium certissimè augurare: quantuscumque fuerit Carolus Tertius, eo majorem, & majorem multò futurum tandem aliquando CAROLUM QUARTUM. Neque metuendum est (nimium fortè dicere videbor, sed tamen dicam verè) ne sibi quidquam humanitùs contingat, aut graves & adversi casus aliqui obstent, quò minus principiis reliqua consentiant, perpetuòque procedant eā felicitate, quam hucusquè omnia portenderunt. Quid ita? Quia in hac parte omni nos de solitudine, ut ut justa sit, ille ipse liberat, qui, mundi arbiter, ad nutum variat rerum vicissitudines. Cujus enim aures adeò peregrinantur tot tamque passim inculcata promissa, quibus in sacris litteris & longiore vitam, & fausta prosperaque omnia iis pollicetur Deus, qui parentes suos illā, quā par est, observantiā dignantur? Quod cum CAROLUS noster, ut vidimus, quād cumulatissimè

praestiterit, nisi Deus non stat promissis, quo prius terra coelumque deficient; certissimè quidem illius vitam, in quā nostra omnium continetur, & servabit diū, & oppidò quām fortunabit; donec gloriā ipsius omnem sub sole terram per vagatā, gloriosiores multò Hispanias reddat, quām accepit. Ac nequid videatur adhuc desiderari, quō gentium omnium felicissimi & simus, & habeamur, illae ipsae promissiones de hoc etiam nos certiores faciunt, quod nimirū, & jucunditatem capiet ex filiis, & per eos firmabit stabilitate domum atque familiam suā. Quo ēquid conficitur? Nempe, quod jam dudū ab ipso rerum Parente Deo enīx petimus, ac precavimus: non solū nos diū potituros CAROLO QUARTO; verū etiam ejusdem filiis atque nepotibus, & iis quidem sui similibus, nostram omnem posteritatem, Hispaniamque universam perpetuā & aeternā successione fruītam.



## ORATIO

IN LAUDEM

## CAROLI QUARTI

SEMPER AUGUSTI.

AUCTORE

DOCTORE FOELICIANO PAULO MENDIVIL

ET SANCHEZ

IN TRIDENTINO SEMINARIO

PHILOSOPHIAE

PROFESSORE.

Imperii foelicitem adspicimus prospere dicōns hisce Americani Populi granditatem, qualitatem, misterioque valutę charissimae Mexicanæ Patriæ, tristissimā diū efforiente similitate, atra mortis induī vesta, illi ultra moliri, post tria tunc annos sibi superesse credebat, quoniam gratissimi Principis memoriam mantinētis, perpetuā aeternitatē conservare, utcūq; unquam satis doctis officiis supremo dilecto Patri-persolente posse

(1.)

**ORATIO  
IN LAUDEM**

**CAROLI QUARTI.**



REGO quod unum post Summi Imperatoris obitum erat optandum, quodque totius Florentissimi Hispanorum Imperii, ob erectum funere tristissimo Carolum, praecognitum dolorem temperare, lugubresque lachrymas poterat cohibere, id tandem Supremo moderante Numine, sat, superque foelici sorte ad aeternam Religionis, & Imperii foelicitatem adeptum prosperè diebus hisce Americani Populi gratulantur. Squalido aspectu, miseroque vultu charissimae Mexicanæ Patriæ tristissima diu offerebatur imago, atrâ moeroris induitâ veste, nil ultrâ moliri, post triste funus sibi superesse credebat, quam gratissimi Principis memoriam monumentis perpetuis aeternitati consecrare; nec unquam satis debita officia supremo dilecto Patri persolvere posse

(2.)

putabat, nisi ipsum omni posteritati praedicandum relinqueret.

Igitur monumentis singularibus undique extructis, imaginibus grati vultus insculptis, & praelo gestis praeclaris mandatis, invicti Caesaris famam post omnem memoriam superstitem futuris aetibus clarissimam servare animo satabat. Verum quid? Piae ad Coelum praeces, moestaeque Patriae lachrymae erant frustra fundenda, aut nullo solatio mitigandae? Civium, Populorumque clamores publici nulla spe boni sedandi? Arae coelestis victimae sanguine sacrae, Delubra nostra holocaustis, & odore fumantia à summo Deo foelicitatis Auctore, & Duce nostri Imperii Conservatore cunctorum expectant votis foelicitatem tandem aliquando non poterant adipisci, ut sin minus redivivo Carolo Tertio, ipsius saltē specie simillima frueremur?

Et cum ipsum ab aeternitate, & placida quiete revocare non possemus, vel illud etiam deficeret, quod ejus immortalibus consiliis omnia amplissimi utriusque Imperii negotia gererentur?

Absit à Superum usitatā Clementiā, absit à statutā gloriā Religionis, & gentis.

Ad Superos namque vocatus Clarissimus ille Patriae Pater, qui vel à juventute gentes

(3.)

imperio gubernarat, Hispaniaeque solium per longum tempus, prudentiā, & virtute tenuerat, ut ne moriens quidem suis Populis abesse crederetur; extremum dēnique sui amoris pignus reliquit in Filio Clarissimo Principe, cūm nominis, tūm Imperii, tūm etiam virtutum singulairum Successore. Reliquit CAROLUM Borbonium Augustum, in cuius ore antiqua species Patris fulgere videtur; atque in ejus vultu omnia Paternae virtutis signa veluti conscripta aspiciuntur.

Tertio ergo Carolo discedente, aliis item Imperio successit CAROLUS priori nobilitate, & stirpe clarissimā aequalis, inde, morumque probitate simillimus, qui, vix datā, acceptaque Populorum fide, Hispaniae solium maximo bonorum plausu concendit; dum jām in ipso imperandi limine illustria Patris vestigia pressa, optimaque consilia intimo cordi defixa, haud unquam ab oculis, & mente removere satagens, aeternam Imperio foelicitatem pollicebatur. Quod si his omnibus clarissimis animi dotibus licet novi Regis virtutem probatam, naturaeque dona spectatissima cognita adjicere; non dubito CAROLUM QUARTUM gratissimum Providentiae munus extitisse suis Populis, quod, pristī-

(4.)

nae foelicitatis retroacti majorum temporis memores, fas sit ultrò augurari, Carolum antiquos Borbonios Principes è cineribus suscitare, nunquamque à suis Populis gloriam, ipso Rege, defuturam.

Quòd si vetera reminisci liceat, quām gratum, quāmque Hispanorum gentibus debeat esse jucundum, ii dixerint omnes, qui brevissimo & calamitoso nonaginta annorum intervallo, quatuor Augustis regnantibus Borboniis Regibus, bellis saepè plurimis, cùm exteris, tūm etiam domesticis impeditis, probè neverint Hispanorum Imperium floruisse virtute, potentia, gloriā: increvisse plurimū scientiis, artibus, litteris optimis; illasem, incolumē, illibatum Angustae Religionis nomen fuisse servatum: ad supremum denique foelicitatis sub Piis benevolis religiosis amantissimis Regibus esse euctum.

Ergò quid Civibus, Imperio, Populis opabilius, quām Clarissimorum Principum nobili posteritate delectari? Quid jucundius, quām ipsorum adhuc clementiā, mansuetudine, humilitate frui? Quid foelicius, quām eorumdem imperio, pace, consiliis, bello, virtute, invicta fortitudine regi? Foelix nimium Hispania, quām vel humata Regum corpora, ossaque sepulta

(5.)

conservare videntur, atque pro ipsius salute, in columitate, fortunis immortali spiritu dimicare! Unius namquè ablato Imperio, alterius virtute aequalis, animo non dissimilis Regnum incipit, quo pristinum restitutum, atque perfectum videtur; ita ut ex ipsis funereis combustis Principum rogisi, alios oriri Reges priorum aemulatores, quorum cineribus sepulchro jacentibus, immortalē tamē eundem animum fatis supervivere, solioque supersedere videamus.

Sic sāne Imperium quandam temporum viscidissitudine laceratum, ac penè dirutum diuturno, & calamitoso bello post pericolosissimum Civile discrimen, quo ipsa Regni fundamenta extrellum jam excidium minitantia commovisse videbantur; sub primo aeternae memoriae Borbonio Rege Patriae, saluti, foelicitati natō, rebellium sedato furore, domi, quos partim amore, & benevolentia conciliavit, partim armis compescuit, exterorumque viribus compressis, necdum placata Numina vidit, verū & secundā, longāque statuā pace, coepit in dies augeri, atque florescere. Nullus profecto, qui ineunte decimo octavo seculo, publicas Hispanorum calamitates, intestina bella, divisa Principum vota, omnia denique susdeque versa aequo animo pon-

derasset; non potius Reipublicae interitum immi-  
nere existimaret, quam post superioris temporis  
caliginem, optimam lucem Imperio, Populis ori-  
turam suspicaretur.

Verum si quod unquam laetissimum vidit  
Hispania tempus, quo ultra praeconceptam spem  
Reipublicae foelicitas & gloria ad supremum  
evectae videantur, soeculum jam propè labens  
illud extitisse crediderim, quod, cum ejus initio  
fuisset bonis omnibus luctuosissimum; ast foeli-  
citer mutata sorte, ingratoque omne averso,  
Philippi incredibili virtute restituta pace, alio-  
rumque Principum diligentia, auctâ, & servata  
in posterum pacis gloriâ, extremos jam pene  
dies fortunatissimos vidiimus, Augusti QUARTI  
CAROLI imperio bonorum spe, Populorum laeti-  
tia, Religionis gloriâ, cunctarumque gentium gra-  
tulatione dignissimâ. Totius enim temporis hujus  
decursu, quo a primo Borbonio Rege Philippo ad  
CAROLUM QUARTUM nuper salutatum faustè, pieque  
Iniperantem, Augustae memoriae Regum quin-  
que Borboniorum cōpletebitur series, & nomina  
gloriosa fastis adscribuntur Imperii, adeo foelici-  
tas Hispaniae Regnum amplexata videtur, ut si-  
mūl succendentibus Princibus, virtutem, benefi-  
cianam fidem, atque multa probatissima Impre-

rio successisse videamus: crescenteque Reipu-  
blicae bono, autis quoque majorum exemplo  
Principum virtutibus, si quae in aliis fuere se-  
juncta, atque dispersa animi dona; mirum est pro-  
fecto, quanta QUARTO CAROLO concordia bono-  
rum omnium contigerit. Quod etenim laudis ge-  
nus, quae magnitudinis, aut gloriæ species Princi-  
cipi nostro Augusto Regi deesse videntur? Ergo  
ipsius nobilitatem generis vultis penitus re-  
cognoscere? Ipsa Borbonia stirps sese offert mul-  
to clarissima, quae, inter totius Europæ domus  
Imperialibus sertis, vietricibus lauris, Regiis dia-  
dematis nobilitatis, extat antiquissima.

Antiqua recolamus monumenta Galliarum,  
atque inter vetusta proeconia Borbonios cum pa-  
ce, tum bello clarissimos pro Patriâ, & glosâ  
ad spiritum usq[ue] laborasse comperiemus: Re-  
gumque sedes ab priscis temporibus longe re-  
motis occupasse: ex ejus foecundo, Regioque sinu  
ad omnes ferè Mundi plagas Duces, Princes,  
nobiles Comites, strenuos Milites, fortes exerci-  
tus Imperatores, Ecclesiae Praesules prodilisse:  
atque ne plura, Galliae, Hispaniae, Siciliaeque  
Regna Borboniorum singulari virtute regi inven-  
niemus, novaque quotidie generosam Domum  
gloriae accipere incrementa.

(8.)

Illustria adhuc expectantur majorum exempla? O utinam ut ipsa sunt numero plurima, tempus optabile superasset, ut licet non pro merito, gloria tamen Borboniorum gesta brevi orationi commendaremus! Innumeras inimicorum acies superatas, Civitates quamplurimas, vel invicto animo expugnatas, vel constanti virtute ab hostium armis defensas, multaque alia virtutis, & animi egregia facinora in medium proferre possemus, quae Borbonios omni posteritate praedicandos reliqueré.

Verum si res propter antiquitatem à nostrâ memoriâ remotas, taciti praetermitamus, atque ea solum nostrae aetati proximiora, memorare velimus. Quemque Patrem Imperium florentissimum jure optimo & adpellat & habet, idque inter sua maxima proeconia recenset? Ingratos nos profecto, vel ipsa Principis gloria monimenta conclamarent. Etsi enim magnus Ludovicus nihil armis, & potentia longo sui Imperii tempore perfecisset; nihil litteris, liberalibusque artibus splendoris contulisset; adhuc tamen Hispaniae

(9.)

gloriosum, faustumque foret Augusti Principis nomen, qui foelicitatem multam, vel hoc uno praestitit cumulatissimè, quod ejus clarissimum Nepotem Hispano Regno dedisset, atque inter difficulta, periculosaque tempora suâ potentia plurimum ipsum juvare curasset.

Quantum verò foelicitatis, & gloriae nostrae gentes acceperint hocce Dei Immortalis beneficio, ipsa testentur nunquam interitura monimenta, quae, discedens Quintus Philippus, ad aeternam sui memoriam per totum Imperium reliquit impressa. Princeps profecto omnium soeculorum memoriâ dignissimus, de cuius laudibus, immortalibusque in rempublicam meritis nulla unquam nec temporum aetas novissima conticescit: Ipsius namque semper laudanda virtus, multoties ingratiae fortunae casibus jaætata, atque iterum viætrix saepè numerò & gloriosissima, ita sese cunctis gentibus probatissimam exhibuit, ut nec fracta adversis, nec secundis elata, vultum aliquando immutarit, sed aequâ fronte, tam in vincendo clementiam, quam in laboribus subeundi constantiam semper visa fuerit servare; donec tandem superior ipsa fatis, pacem, tranquillitatem suis Populis restituit, atque deinceps quidquid Reipublicae gloriosum, & uti-

(10.)

le judicaret, opportunè admodum consuluit.

Et quae deinceps foelicio posteritas extitit unquam praedicanda, quam Imperio relicta Borbonia Domus? Post Philipum non adhuc è vivis sublatum, sed sponte laudandà quadam animi integritate eruptum Regno, Juvenis Ludovicus solo supersedit; verum dum vix suo dignum Patre Filium cunctorum expectationi sese incipiebat ostendere; morbo corruptus diem obiit extremum totius Regni lucu, atque optimatum lachrymis, quas diutius, quam Ludovici Imperium perdurasse novimus; nec ultra reor eas cohiberi potuisse, nisi Philippi iterum Imperium fuisset restitutum.

Non tamen ipso discedente foelicitas a nostris oris recessisse videtur: alter namque gloriösus supererat Filius, qui partam Patris armis gloriam Imperii, mediā dulcis tranquillitate pacis, servavit, auxit, atque brevi tempore Imperium florentissimum, opulentissimumque reliquit: Augustus Ferdinandus hujus nominis Hispaniā Sextus, cuius diadema pacifica contexuit oliva, cujusque Imperii florentissimo tempore longe à Patriae finibus belli strepitū, stragesque lugenda recesserunt. Tunc foelices Hispani dulce tranquillitate fauti, litteras penè oblitas, liberalesque

(11.)

artes Munifici Regis auspiciis coluerunt, Patriaeque splendorem maximum contulere. Faustum profecto Imperium, quo renascentes disciplinae illius temporis gloriam ad omnem posteritatem commendandam transmissere, ut Augusti Imperatoris memoriam, neque deleaf oblivio, neque majora merita possint in posterum superare.

Serius profecto, quam & sua merita praeclara, gratique animi officium postulare videbantur, ad postremum Philippi Filium nostra peruenit oratio: ad dilectissimum nempè gratā semper memorīa venerandum Carolum Tertium, quem nuper eruptum Populo Hispano lugemus adhuc, cujusque jucundissimum nomen nunquam sine lachrymis, & laudibus ore licebit adsumere. Queis enim proeconiis, quibusve laudibus immortalē animi virtutem illius Regis poterimus satis unquam commendare, qui vel ab ineunte aetate tot clarissima futurae vitae praebuit indicia? Ipse namque tener adhuc Juvenis, satius dixerim, tenerimus infans praeclara jam ambiens, & immortalia nomina, nihil suo sàt dignum ingenio, voto, optatu quidquam judicavit, quam superrum Sapientis nomen: quod, si tam optimè, quam & ipse optaverat, fuit adseqūtus, aeterna concinnant relicta monumenta Academiae

(12.)

Scientiarum, vel suo tempore à fundamentis errectae, vel suis sumptibus ampliatae, & auctae, liberalibusque artibus excolendis erectiones quamplurimae, Regia Munificentia ditatae.

Et si de rebus bello gestis quidquam memorare velimus; vos Siculae acies testes adpello; vos Neapolis & Bidrunti Civitates, quibus Juvenis CAROLUS districto gladio, inter medias Inimicorum turbas, victoriae sese gloriosis sertis redimivit; vos etiam::: sed quorsum? Exteras forsitan Regiones lustrabimus, aut potius intra Patriae terminos nil prorsus inveniemus, quod non redoleat Caroli Tertii semper Augusti gloriam, honorem, majestatem? Ita sane foelix Patria Hispania; si enim tibi CAROLUS splendorem contulit, honorem adjecit, majestatem conciliavit; tu ipsi grata semper memoriam servas, nomen colis, & ipsius gloriam monumentis immortalibus consecras.

¶Videtis ergo quantus CAROLI QUARTI sit Domus splendor? quae majorum dignitas? quae Imperii majestas? At ipse longè Superior avitam nobilitatem inorum indolis probitate superat, Majorum exempla insequitur, complet, perficit: & si Patres non licet superare; eos tamen numeris omnibus aequat, Regni potentiam & majestatem

(13.)

Imperii servat, auget, gradumque provehit ad supremum. Nec tamen nos quis de ignoto loqui, aut foelicitatem augurio polliceri arbitretur; novare namque CAROLI humanitatem, novare prudentiam, novare animum ad optima quaeque primum, omnes Populi, cunctaeque gentes, quis ipse quadraginta annorum spatio clarissimam indeolem notam fecit atque probatam. Dedit CARO Neapolis ortum, conjugium Parma, Imperium Hispania; & quae acceperat ipse referens, Neapoli & Parmae honorem retulit, Hispaniae verò immortale gloriae monumentum.

Si quid enim ad perpetuam Populorum & gentium foelicitatem optatum semper fuit, atque expetitum, illud abs dubio maxime, quod Principum animos laetissimus urgeat amor Patriae. ¶Quae tamen amoris erga Populos in QUARTO CAROLO desiderantur testimonia? Ipsum namque humanissimum publicas Hispanorum calamitates lugentem novimus; ipsum multoties pro cuiusque Civis vita, fortunis, incolumente, honoribus Paternas ad aures interpellantem accepimus. Et si haec, aliaque multa precando perfectit ¶quanta quamque majora facturum putamus, imperando? ¶Verum quid, inquam, putamus? ¶Ergo ne illum incredibili diligentia, brevi adm-

(14)

dum hujusce sui Imperii tempore, optima quaeque ad rempublicam decrevisse vidimus, ut vix tam exiguo tempore tot laudanda opera perfici posse jure arbitremur? quid, sive de tuenda tranquilitate Imperii, aut majestate servanda? vel de Reipublicae gloria augenda? vel de Civium fortunis & opibus tutandis? vel de Exercitu comparando? vel de litteris tradendis liberalibusque artibus propagandis? vel denique de optima in omnibus quibusque ratione statuenda non ipse solicius tanta diligentia peregit, ut potius quam sibi, Patriae, & Imperio natus videretur?

Glorietur itaque jure merito Hispania, faustoque initio CAROLI Regis Imperii sibi in postremum futurum speret, ejus potentiam, gloriam majestatem nova in dies acceptura incrementa. Tuque inter coeteras pars optima Mundi, opulenta, dives, foelicissima America, quae nec cum fertilitate regionis, nec cum ubertate agrorum, nec cum pulchritudine Civitatum, nec denique cum bonis omnibus, quibus te rerum Conditor munificè locupletavit, munus maximum CAROLI Imperii putas comparandum; tuam huc usque probatam fidem, queis possis verbis, Populis & gentibus ostende: sis grata Pio Regi, grata Coniugi Reginae, grata Principi. Teque Deus Maxi-

(15.)

me primū Conditor nostri, dein Conservator Imperii precamur omnes, ut si qua Hispaniae, Americaeque gentibus manet statuta felicitas, ea sit maximè, quod Dilectum CAROLUM ageas, foveas, & quantum Imperio, Religioni, Patria, Majestati congruit, ad remotiora soecula gloriosum serves.

CARLOS QUARTO,

AUGUSTO REY DE LAS ESPANAS

EL REY D. JOSE MARIA VARTORO



DEL COLEGIO REAL Y MAS ANTIGUO

DE SAN ILDEFONSO.